



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

X. An possit aliquando absolui directè subditus à reseruatis sine recursu
ad Superiorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

omnino à suis Prælatiis quoad absolutionem sacramentalem, cogitaret aliquis, eos ita plenè pendere à suis Prælatiis, vt sicut sine illorum licentia à nullo peccato mortali possunt absolui, ita de eorumdem licentia possent ab omnibus peccatis absolui; quod cum de iure communi falsum sit propter peccata aliqua Summo Pontifici reſeruata, à quibus sine speciali licentia Pontificis non possunt à Prælatiis absolui; idèò addita sunt ad hanc errandi occasionem tollendam, verba illa, & *Sedi apostolicæ, quoad sibi reſeruata*: quoad reliqua enim dependent à sola Prælatorum dispositione. Quem sensum, quia non ita exprimebant verba Clementis, idèò prudenter S. D. N. Urbanus voluit ad maiorem claritatem adiungi. Volui autem ad maiorem certitudinem immediatè consulere, de vero illorum verborum sensu. Illustriss. D. M. A. Maraldum, à quo ex mandato Summi Pontificis Bulla illa subscripta, constructa, & facta fuerat, & qui verba illa apposuerat: qui statim in hoc ipso sensu ea mihi explicuit, & vehementer miratus est, quòd in illo alio sensu potuerint ab aliquo accipi, cum in eadem Bulla totum Decretum Clementis innouetur. Cum autem nemo possit melius verba interpretari, quàm qui eorum fuit auctor; non video, quare possit in hoc puncto occasio dubitandi superesse.

SECTIO X.

An possit aliquando absolui directè subditus à reſeruatis, sine recurſu ad Superiorem.

200. **N**on dico, sine facultate, quia hoc nunquam fieri potest, cum omnis iurisdicção necessaria ad validè absoluendum debeat promanare ab aliquo Superiore: sed dico, sine recurſu, quod fieri potest, èò quòd vel ipse reſeruans, vel alius eius Superior antecedenter dederit facultatem ab absoluendo in talibus, vel talibus circumſtantiis. Non est autem sermo de iis casibus, in quibus propter urgentem necessitatem, non habita copia Superioris, potest subditus confiteri inferiori, & absolui indirectè à peccatis reſeruatis, de quo *suprà*, & in *tract. de Eucharistia*, dictum est: sed nunc agimus de absolutione directà, & tali, vt non sit necesse iterum ab illo peccato directè absolui. Tres autem sunt potissimæ exceptiones. Prima est pro articulo mortis. Secunda, pro casibus pontificiis, à quibus potest inferior aliquando absolueri, quando non potest recurri ad Pontificem. Tertia est de Religiosis iter agentibus, quibus Prælati sui solent dare facultatem cum aliquibus limitationibus, de quibus omnibus sigillatim dicendum est.

§. 1. De facultate absoluendi à reſeruatis in mortis articulo.

201. **Q**uod attinet ad absolutionem à peccato, non est dubium, quin sit talis facultas, cum Tridentinum supponat, pro eo articulo omnes Sacerdotes posse absolueri ab omnibus peccatis: quæ quidem absolutio directà est, cum sit ex potestate, & iurisdicção, quæ ab Ecclesia pro eo articulo confertur. Certum est etiam, posse quemlibet Sacerdotem tunc absolueri directè à qualibet excommunicatione, etiam Pontifici reſeruata vt constat ex eodem Tridentino *ibidem*. Item, certum est, eos, qui in prædicto articulo absoluuntur ab excommunicatione reſeruata, debere transacto illo periculo, quamprimum possint, recurrere ad eum, P. Ioann. de Lugo, de Penitentiis.

cui excommunicatio reſeruata erat, alioquin in eandem censuram reincidunt, vt decernit Bonifacius VIII. in c. *Eos, qui de sententia excommunicationis*, lib. 6. Ab hoc autem onere liber erit qui absoluitur virtute Iubilei, aut Bullæ concedentis talem absolutionem in articulo mortis, vt conceditur in Bulla Cruciatæ absolutionis facultas, semel in vita, & semel in articulo mortis, excepto casu hæresis: nam priuilegium non est, vt absoluitur cum onere comparendi in articulo mortis; ad hoc enim non erat necessarium priuilegium: sed conceditur, posse absolui absque vlla alia obligatione, per quam non tollitur obligatio satisfaciendi parti læsæ, & cautionem præstandi. Idem dicendum est, si ille, qui in mortis articulo absolutus fuit cum onere comparendi, elapso periculo, recurrat ad habentem facultatem absolutam absoluendi ab illa censura, & ab illo absoluitur, vel faciat se absolui virtute Bullæ, aut Iubilei: tunc enim auferetur obligatio relicta comparendi, cum iam compareat coram habente facultatem à Summo Pontifice, & absoluitur ab illo. Quid autem nomine *articuli mortis* intelligi debeat, diximus *suprà* disp. 18. sect. 2.

202. Aduerte primò, in hoc casu, si penitens sit sui compos, Sacerdotem debere ei explicare hoc onus, quòd ei remanet, & petendum esse iuramentum de obseruatione, saltem à penitente non puero, vt cum communi Doctorum, quos affert, probat Bonacina de censuris, disp. 1. quest. 3. punct. 3. n. 11. aduertit autem bene Thomas Sanchez lib. 2. in *Decalog.* cap. 13. num. 30. cum Syluestro, & aliis, cum illud iuramentum solum exigi debeat à non habente impedimentum perpetuum, sed temporale, recurrendi ad Superiorem, vt colligitur ex cap. *Quantum de sententia excommunicationis*, si ab aliquo habente impedimentum perpetuum, exactum fuisset iuramentum prædictum, non teneri, etiam si per miraculum postea impedimentum cessasset: quia, stante illo impedimento, non tenebatur iurare; & non se intendit obligare, nisi iuxta intentionem Confessarij; nec Confessarius intendit exigere, nisi quatenus ex iure debet obligari.

203. Aduerte secundò, quando Tridentinum dicit, posse in illo articulo absolui ab omnibus censuris, verba illa intelligi iuxta materiam subiectam de censuris, quæ Sacramentis ab agro recipiendis obstant: vnde non poterit absolui à suspensione ab Ordine, vel ab officio, & beneficio, vt constat ex ratione à Tridentino reddita, ne hac occasione aliquis pereat, de quo dixi dicta disp. 18. sect. 2. vbi etiam dixi, præſente Confessario priuilegiato, qui ex priuilegio habet facultatem absoluendi à reſeruatis, non posse etiam in mortis articulo absolui infirmum ab eo, qui non potest à reſeruatis absolueri. Dixi item, non teneri infirmum ad petendam tunc facultatem per litteras, vel nuncium, nec ad accipiendam Bullam Cruciatæ; sed posse se gerere tamquam non habentem copiam Confessarij, & absolui ab inferiori.

204. Aduerte tertio, eum eodem Sanchez, *ibi*, n. 17. & sequentibus, duplicem cautionem petendam esse ab eo, qui sic absoluitur à reſeruatis ob necessitatem: alteram de stando mandatis Ecclesiæ: alteram de satisfaciendo. Prima cautio debet exigi sub iuramento, saltem in criminibus magnis, vt de incendiariis, & manifestis Clericorum percussoribus, traditur in iure, quod iuramentum exigitur à fœminis etiam, (non tamen ab impubere; & etiam si penitens parti satisfecerit: per quod tamen iuramentum non contrahitur noua obligatio seruandi omnia Ecclesiæ præcepta; Q. 9. 2. sed

sed tantum id, quod iniunctum fuerit ea occasione ab Ecclesia, vel ab ipso absolvente. Secunda verò cautio de satisfaciendo non petitur, quando, vel non debetur alicui satisfactio, vel satisfactum iam est: debet autem esse cautio pignoratiæ; vel si hæc non possit, fidei iuratoria; aut si neque possit, iuratoria; imò, si ipsa realis satisfactio præmitti potest, præmittenda omnino est.

205.

Aduerte quartò cum eodem num. 24. & sequentibus, ultra hanc duplicem cautionem iniungendum esse onus se præsentandi, ut diximus, ei, cui excommunicatio reservata erat, cum primum commodè possit: quod si non obseruauerit, reincident in eandem excommunicationem: quod onus videtur etiam sub iuramento imponendum, ut colligitur ex c. Quamuis, & ex c. Ea noscitur de sententia excommunicationis. Debet autem se præsentare; non quidem, ut ab excommunicatione absoluat, à qua iam erat directè absolutus; sed, ut Superior convenientem medicinam adhibeat, & satisfactio- nem imponat.

206.

Aduerte quintò cum eodem n. 34. & 35. quando infirmus nullam cautionem præstare valet, quia iam iam vsum sensuum amisit, posse, & debere sine cautionibus absolvi: imò, licet Confessarius ob ignorantiam non imposuerit tale onus se præsentandi, adhuc absolutionem validam esse: sicut, licet omiserit alias duas priores cautiones: quia nullum est verbum in iure, ex quo colligatur irritatio absol- utio nialiter exhibitæ.

207.

Aduerte tamen sextò: licet Confessarius illud onus comparendi non imposuerit, non ideo mi- nus obligari postea pœnitentem ad comparandum sub eadem pœna reincidentiæ in eandem censuram. Pontifex enim in dicto c. Eos qui de sententia excommunicationis, lib. 6. absolute dicit, eos omnes, qui à qualibet sententia canonis, vel hominis in mortis periculo, vel propter aliud impedimentum absoluantur ab alio præter illum, ad quem de iure spectabat, reincidente in eandem sententiam, si cessante periculo, vel impedimento, quam citò commodè poterunt, non se præsentabunt Superi- ori. Vbi nullam mentionem facit de iniuncto prius onere illo à Confessario. In secunda autem parte illius textus mentio fit de iniuncto prius onere; quando, scilicet, aliquis à Sede apostolica, vel eius Legatis absolutiohem consequitur, iniuncto onere, ut se Ordinarij sui, vel alicuius alterius, pœ- nitentiam ab eo suscepturus, conspectui repræsen- tet; qui, si cum primum commodè poterit, id non fecerit, in eandem sententiam incidit. Tunc autem requiritur talis iniunctio præcedens, quæ ibi ex- pressè ponitur. Quare, cum in priori textus parte omiſsa fuerit, non requiritur ad hoc, ut maneat illa obligatio.

208.

An obligatio comparendi sit solum pro censuris.

His suppositis, restant aliqua dubia. Primum, an hæc obligatio comparendi sit in omnibus, qui absoluntur in eo periculo à peccatis reservatis; an solum in iis, qui absoluntur à censura reservata. Affirmant aliqui idem procedere, quando peccata non habent annexam censuram. Valquez in præ- senti, quest. 91. art. 3. dub. 8. num. 7. Gaspar Hur- rado de Sacramento pœnitentiæ, disput. 11. diffi- cult. 13.

Contraria sententia est communis, & verior, quam tenent Suarez in præsentis, disp. 30. sect. 3. n. 6. Thomás Sanchez loco supra citato, n. 24. Coninch. in præsentis, disp. 8. dub. 2. Henriquez lib. 6. c. 14. n. 3. Reginald. lib. 1. num. 62. & lib. 8. n. 14. Corduba in Summa, q. 18 punct. 2. dicto 2. Zambrano cum aliis, quos affert de casibus articuli mortis, cap. 4. dub. 4. n. 21. & ipse tandem Valquez, re melius conside-

rata priori sententia relicta, huic adhæsit quasi. 93. art. 1. dub. 6. num. 15. Ratio est: quia tale onus com- parendi non sequitur ex natura rei, nisi imponatur à Superiore, quando datur talis licentia absolven- di; & quidquid sit, an imponi possit semel absolutio directè à peccato, ut iterum illud constiterit, vel compareat, de quo dixi disp. 15. sect. 6. non constar- tamen impositum de facto esse in absolutione pec- cati facta in articulo mortis; nec iura citata agunt de absolutione à peccato, sed à censura canonis, vel hominis: ergo non est talis obligatio sine fun- damento affirmanda.

Obiiciunt: quia facultas in iure concessa ad ab- soluendum à reservatis, quibus excommunicatio annexa est, in articulo mortis, aut alio legitimo im- pedimento existente; extensa est à Doctoribus ad absolendum à quibuscumque aliis reservatis, quamvis eis non sit annexa excommunicatio: ergo extendenda etiam est cum eodem onere, cum quo in iure concessa est ad absolendum ab illis, qui- bus annexa est excommunicatio. Ita arguit Horra- do loco citato. Respondet tamen, facultatem ab- soluendi in articulo mortis à reservatis, sine ex- communicatione, non debere colligi extendendo facultatem illà à iure concessam absolventi à cen- suris in eo articulo; sed haberi expressam in Con- cilio Trident. sess. 14. cap. 7. abique vllò onere, vel limitatione. An verò extra illum articulum possit dari absolutio directè ab eiusmodi reservatis, vi- debimus inferius, hæc eadem sect.

Dubatur secundo, an aliquis Prælatus inferior possit reservare peccata, ita ut in articulo mortis de- beat absolvi cum onere comparendi postea elapso periculo, si poterit. Et quidem, si peccatum habeat annexam censuram, non est dubium, cum de f. do in iis omnibus cuiuscumque Superiori reservatis re- maneat talis obligatio comparendi postea, ut con- stat ex dicto c. Eos, qui. Dubium ergo est circa pecca- ta non habentia censuram annexam, de quibus Suarez disp. 30. sect. 5. n. 37. licet probabiliter existimet fieri non posse, adhuc inclinare videtur in partem contrariam, loquendo de possibili: fateatur tamen malè facturum Prælatum Summo Pontifici infir- mæ, qui id facere tentaret.

Ego existimo, nec licitè, nec valide posse Præla- tum Summo Pontifici inferiorem talem reser- vationem facere: quia potestas facta omnibus Sacra- dotibus in mortis articulo, absolventi ab omni- bus reservatis, procedit ab Ecclesia vniuersali, & eius Capite, Summo Pontifice: potestas autem, & iurisdictio data à Pontifice ad absolendum à re- servatis, non potest licitè, aut valde limitari à Prælato inferiori: nullus ergo Prælatus inferior potest sua reservatione limitare illam facultatem, quam omnes Sacerdotes habent absolventi pro mortis articulo, quæ independenter ab ipsis data supponitur à potestate superiori. Vnde infero, si ipsemet Pontifex non apposuisset illud onus com- parendi, quando absoluitur pœnitens in illo arti- culo ab excommunicatione reservata, neque etiam potuisset inferiorem Prælatos licitè, aut valde illud onus apponere; etiam pro absolutione à censu: cum enim utraque facultas absolventi, nempe & à peccatis, & à censuris, meo articulo procedat ab Ecclesia vniuersali, ut indicat Tridentinum sess. 14. c. 7. non potuisset Prælatus inferior illam facultatem limitare, aut gravare etiam in ordine ad censuras. Solus ergo Pontifex Summus potest illud onus imponere pro mortis articulo: extra illum tamen casum, facilius possunt aliquando Prælati inferiores aliqua onera imponere, ut infe- rius videbimus.

Dubitari

212.
de nouo cen-
suris reinci-
dit in eam-
dem censu-
ram.

Dubitari tertio potest, quomodo dicatur reinci-
dere in eandem censuram ille, qui elapso pericu-
lo mortis non obseruat, quod promissit; nec præ-
sentat se Superiiori, cum possit. Pater Suarez tom. 5.
de censuris, disp. 22. sect. 1. num. 62. dicit, non re-
dire eandem censuram; sed aliam similem excom-
municationem maiorem, & cum eadem reserua-
tione, quæ non est omnino propter eandem cau-
sam; quia hic non contumacia, nouissimæ contem-
ptus intercedit. Eodem modo loquitur Pater San-
chez num. 28. Bonacina etiam de censuris, disp. 1.
quest. 3. punct. 3. proposit. 4. num. 26. qui dicit non
esse eandem munerem, sed aliam eiusdem speciei,
quæ incurritur, non ob solam primam causam, sed
etiam ob inobedientiam nouam à penitente com-
missam.

213. Ergo existimo, eo modo, quo non est eadem nu-
mero, neque etiam esse posse eiusdem speciei mor-
alis: nam speciem moralem censuræ debet desumi
ex obiecto, seu crimine, propter quod fertur; alio-
quin omnes excommunicationes reseruatæ Papæ
essent eiusdem speciei morales, nec oporteret eas
explicare amplius in ordine ad absolutionem; sed
sufficeret dicere: *Ego contraxi excommunicationem
quamdam non reseruatam*, vel, *Contraxi quamdam
reseruatam*. Sed peccatum, ob quod contrahitur
talis excommunicatio, non est idem omnino, sed
diuersum specie, cum non sit sola percussio Clerici
præterita, v.g. sed etiam contumacia, & inobedi-
entia præsens, qua noluit comparere: ergo, si ob eam
causam differt numero, differt etiam specie. Dicen-
dum ergo videtur, esse quidem, physice loquendo,
aliam: moraliter tamen, seu per iuris fictionem esse
eandem specie, & numero. Nam, physice loquen-
do, sicut datur nouum mortuum ad puniendum
hunc hominem, à quo Legislator mouetur; sic datur
etiam noua voluntas efficiendi eum extra Eccle-
siam, postquam receptus fuerat.

214. Ceterum fictione iuris est eadem excommuni-
catio rediens: vult enim Legislator, vt perinde sit,
ac si non fuisset absolutus ab illa alia; & sicut, si ex-
communicatus esset propter solum delictum præ-
teritum, v.g. propter Clerici percussione. Vnde
retinet eandem reseruationem, & eandem etiam
aufferibilitatem, vt ita dicam: nam qui haberet sol-
um facultatem absoluendi ab excommunicatione
ob percussione Clerici, posset procul dubio ab-
solvere ab ista: ergo moraliter hæc non est excom-
municatio propter inobedientiam in comparando,
sed solum propter percussione Clerici: alioquin
non posset auferri ab eo, qui solum potest ab-
solvere ab excommunicatione ob Clerici percussio-
nem. Redit ergo moraliter eadem specie, & nume-
ro: quia per fictionem iuris censetur eadem omni-
no rediisse, vel perseverasse, quamuis physice sit
alia, & propter aliud motiuium.

215. Hinc dubitari potest quartò, an si ante ab-
solutionem erat excommunicatus vitandus, postea
quando recidit in excommunicationem, quia
non comparuit, sic etiam vitandus, sicut erat an-
tea. De hoc dubio agit Bonacina ubi supra, n. 18.
& responder affirmatiuè. Primò, quia si post ab-
solutionem mortuus fuisset penitens; non po-
tuisset in loco sacro sepeliri, antequam Superiiori
constaret de absolutione ei data: ergo multò mi-
nùs poterit ad participationem fidelium admitti
post reincidentiam in eandem specie censuram,
& cum eadem reseruatione. Secundò, quia ratio,
quam affert textus in dist. c. Eos, qui, vt ligentur
de nouo censura, qui elapso periculo non com-
parent, est ne illudatur Ecclesiæ censuris: si autem
ille postea non esset vitandus, sicut prius; iam ex

P. Ioann. de Lugo, de Penitenti.

parte illuderetur censuris: commutasset enim cen-
suram in illam leuiorem. Tertio denique, quia
Pontifex ibi non solum dixit, debere incidere in
eamdem censuram; sed in eandem sententiam: cum
ergo antea per sententiam fuisset excommunica-
tus, & denunciatus; debet redire eadem sententia
quoad vtrumque effectum.

Distinguendum puro: nam excommunicatus
vitandus hodie debet esse, vel nominatim denun-
ciatus, vel manifestus, & notorius Clerici percus-
sor, qui nulla possit tergiversatione celari. Vnde,
si talis notorius percussor Clerici absoluitur in
mortis articulo, & postea suo debito non satisfac-
cerit; videndum est, an sit etiam notoria secunda
culpa non comparendi, vel non satisfaciendi, ita
vt nulla possit tergiversatione celari: nam id to-
tum requiritur ad hoc, vt fideles eum vitare te-
neantur. Similiter, si ob aliam causam erat prius
excommunicatus, denunciatus, & absolutus in
mortis periculo, postea suo debito non satisfacit;
debet vitari de nouo, si constet manifestè de
hac secunda culpa. Ratio est: quia ille omnis ex-
communicatus vitandus est, qui vel excommunica-
tus est ob publicam percussione Clerici ita noto-
riè, vt nulla possit tergiversatione celari; vel si
excommunicatus est ob aliud delictum, constat,
quòd sit nominatim denunciatus. Sed eo ipso,
quòd iste non satisfacit suo debito post absolutio-
nem, recidit in excommunicationem, quæ morali-
ter sit eadem cum priori, vt vidimus: ergo, si con-
stat, illum culpabiliter non satisfecisse, ita vt nul-
la possit tergiversatione celari; iam constat, quòd
sit excommunicatus ob percussione Clerici suf-
ficienter ad obligationem eum vitandi. Similiter,
si constat sufficienter, quòd culpabiliter omisit de-
bitum comparendi & satisfaciendi, &c. atque adeò
recidisse in excommunicationem eandem, ob quam
erat denunciatus nominatim; iam constat eum esse
excommunicatum excommunicatione denunciata,
quod sufficit, vt debeat vitari.

Quando verò, licet reuerà reciderit in eandem
excommunicationem, de hoc tamen non constat,
provt constare debet ad obligationem eum vitan-
di: non est excommunicatus vitandus. Nec mirum
est, quòd in hoc casu aliquid lucratus sit; & me-
liorem statum habeat quoad hoc, quàm ante ab-
solutionem: hoc enim est per accidens propter
defectum notitiæ requisitæ. Fatemur ergo ipsum
incurrisse in eandem sententiam, & esse excom-
municatum vitandum, quantum est ex se: dum
tamen hoc ipsum aliis non constat, quantum de
iure constare debet, vt cum vitare teneantur, ex-
citantur per accidens alij fideles ab eo vitando.
Sicut etiam ante Concilium Constantiense sæ-
pe contingere poterat, quòd aliquis recidisset
in priorem excommunicationem propter hanc
culpam non comparendi, & tamen alij fideles non
tenerentur ad eum vitandum: quia non constabat
eis sufficienter, an culpabiliter non comparuisset.
Vnde constat responsio ad secundum, & tertium
argumentum Bonacina. Ad primum verò facile
respondetur, certum esse, quòd non possint alij
fideles cum eo communicare, nisi prius constet eis
de absolutione in mortis articulo data. Dicimus
tamen posse eos postea communicare cum ipso,
etiamsi reuerà reciderit in priorem excommunica-
tionem, quandiu eis de hac ipsa reincidentia non
constat: quæ notitia ad vitandum Clerici percusso-
rem debet esse multò maior: talis scilicet, vt nulla
possit tergiversatione celari: hanc enim notitiam
exigit ius nouum Concilij Constantiensis.

Q. 9. §. 2. D. 6

§. 2. De facultate ad absolvendum à reservatis
Pontifici in necessitate extra mor-
tis articulum.

218.

HOc est secundum punctum, in quo est specialis difficultas. Regula enim generalis est, ut qui legitimo impedimento perpetuo, vel temporali prohibetur, ne possit Romanum Pontificem adire pro absolutione excommunicationis Sed apostolicæ reservatæ, possit ab Episcopo proprio absolui; ita tamen, ut cessante temporali impedimento, debeat se Romano Pontifici, vel eius delegato præsentare, alioquin in eandem excommunicationem recasurum. Ita colligitur ex c. Mulieres. c. Noscitur. c. Quamvis. c. De casero. de sententia excommunicationis. & c. Eos. qui eodem titulo, lib. 6. in quibus tamen locis sermo est de excommunicatione ob percussione Clerici contracta. Eam tamen regulam Doctores communiter extendunt ad omnes excommunicationes reservatas Summo Pontifici, cum eadem omnium sit ratio: & materialiter se habuerit, quod casus circa illam materiam contingeret: cum enim illa fuerit antiquissima reservatio Summo Pontifici, ad eius imitationem reliquæ omnes factæ videntur. Vnde immerito Sylvester verbo, Excommunicatio, 8. num. 8. excipit ab hac regula excommunicationes contentas in Bulla Cœnæ, quam exceptionem impugnât bene Suarez in præfenti, disput. 30. sect. 3. num. 9. nam verba illa Bullæ, quod nemo possit ab illis, nisi in articulo mortis, absolueret; eodem modo habentur in aliis censuris Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ: non ergo habent ibi maiorem vim verba illa; sed debent semper accipi iuxta interpretationem ipsius Legislatoris, qui sæpè explicavit mentem suam de non comprehendendo casu necessitatis, & impotentia.

219.

Hinc absolui possunt ab Episcopo mulieres, im-
puberes, valetudinarij, pauperes, qui ob paupertatem non possunt iter agere; & denique quicumque legitimo impedimento prohibentur: ita tamen, ut si impedimentum non sit perpetuum, (excepto impedimento pueritiæ,) debeant sub iuramento obligari ad comparendum, cessante impedimento, prout supra dictum est.

220.

An possit absolui ab Episcopo, qui potest adire Nuncium.

Difficultas est primò, an possit ab Episcopo absolui, qui, licet non possit adire Pontificem, potest tamen adire Nuncium, vel Legatum Pontificis, potentem absolueret. Afirmant Henriquez lib. 6. cap. 9. n. 7. Auila de censuris, 2. parte, cap. 7. part. 1. dub. 6. Alij dicunt non posse tunc absolui ab Episcopo. Nauarrus in Summa, c. 27. num. 90. Coninch. disp. 14. dub. 16. num. 242. Corduba quest. 18. Bonacina de censuris disput. 1. quest. 3. punct. 2. n. 4. Addit tamen Coninch, posse absolui ab Episcopo, etiam si adsit copia alterius Confessarij habentis, v. g. ex privilegio facultatem absolviendi ab iis casibus: quia in dicto c. Quamvis de sententia excommunicationis, requiritur, quod adeatur Legatus, quando potest: de alijs tamen privilegiatis non fit mentio.

221.

Mihi sententia Nauarri magis placet iuxta ea, quæ in simili dixi de absolutione in articulo mortis; nec inuenio discrimen inter Legatum, & habentem facultatem absolviendi, cum ille etiam sit delegatus a Papa quoad illam causam, & ratio sit eadem in utroque: quia, scilicet, iam potest adiri ille, cui ex voluntate Papæ commissæ est illa causa. Et quidem in praxi non est periculum, quod velit pœnitens recurrere pro absolutione ad Episco-

pum, cum onere comparandi postea coram Pontifice, quoties poterit sine eo onere absolui ab habente ex privilegio facultatem absolviendi directè, & quem facilius adire poterit, quam Episcopum.

Secundò est difficultas gravior, an prædicta regula locum habeat in peccatis, etiam reservatis Pontifici, sine excommunicatione: Pater Valquez quest. 93. art. 1. dub. 6. n. 14. dicit, opus comparandi post absolutionem semel habitam, & facultatem absolviendi cum eo onere non dari, nisi pro casibus habentibus excommunicationem annexam: unde videtur supponere, facultatem illam Episcopo datam, cum data sit cum eo onere, solum extendi ad casus, qui habent excommunicationem Pontifici reservatam.

P. Suarez in præfenti, dicta sect. 3. num. 11. dicit, certum esse, quod si Pontifex reservat aliquod peccatum sine excommunicatione, prout reservavit aliquando Sixtus V. procedere in eius absolutione eandem regulam, & facultatem; quod mihi etiam probabilis videtur: quia ratio videtur ferè eadem, nempe, difficultas adeundi Pontificem: & quia incredibile videtur, quod voluerit Pontifex eam facultatem absolviendi dare pro peccatis gravioribus, qualia solent esse illa, quibus annexetur excommunicatio, & negare pro peccatis levioribus: suppono enim, iuxta communem doctrinam, ablata excommunicatione, auferri etiam reservationem, quoad ipsum peccatum Papæ reservatum. Adde tamen, in eius peccati absolutione, quod non habet excommunicationem, non fore iniungendum pœnitenti onus comparandi, & adeundi Pontificem: quia illud onus in iure non imponitur, nisi quando absoluitur à censura; & quia imponitur sub pena recidendi in eandem censuram, quod in absolutione à peccato fieri non potest: cum non possit Papa facere, quin tenet eundem peccatum physice, vel mortaliter quod semel ablatum est.

Maior est tertia difficultas, an prædicta regula locum habeat in peccatis, etiam reservatis alijs Prælati, siue cum excommunicatione, siue absque illa: ut, quoties subditus non potest adire Superiorem, possit etiam extra mortis periculum ab inferiori absolui directè cum onere etiam comparandi, cum poterit, si peccatum habebat excommunicationem annexam. P. Suarez dicta sectio 3. numero 11. rationes pro utraque parte affert; ipse tandem in patrem negantem magis inclinat, ne in re adeo gravi absque sufficienti fundamento tanta facultas tribuatur. Affert autem rationem discriminis, cur magis expediens, & necessaria fuerit illa facultas pro casibus pontificiis, quam pro alijs. Primò, quia difficilior est aditus ad Pontificem Summum, quam ad alios Prælatos; idè oportuit providere huic frequenti necessitati. Secundò, quia casus reservati Pontifici communiter habent excommunicationem, à qua debet pœnitens prius absolui, ut absolvaatur à peccatis: quando verò peccata reservantur alijs Prælati: absque censura, poterit pœnitens in necessitate confiteri alia peccata non reservata, à quibus absolvaatur directè & indirectè à reservatis. Sed tamen Gaspar Hurtado de Sacramento pœnitentiæ, disp. 11. diff. 13. supponit, ab omnibus admitti communiter eam extensionem ad casus reservatos alijs Prælati.

Ego quidem in hoc puncto nullum inuenio fundamentum sufficiens dubitandi: & communis sententia talem extensionem non admittit, ut fateretur Suarez num. 11. ubi affert Durandum, & Adrianum eam negantes. Ratio autem videtur id equivocare

convincere: nam videtur clarè satis constare, intentionem Summi Pontificis non fuisse, dare regulam generalem pro omnibus casibus, qui referuati essent, vel Episcopis, vel aliis Prælatibus; sed solum pro referuatis Pontifici. Regula enim ab ipso tradita est, quod in casu necessitatis recurratur ad Episcopum, cui commisit tunc absolutionem: noluit enim providere necessitati eorum, qui non possent recurrere ad Episcopum, alioquin debuisset addere, etiam in ipsis casibus pontificiis, ut si non esset aditus ad Episcopum, absolueretur à Parrocho; quod tamen nunquam dixit; sed semper voluit, quod absolutio peteretur ab Episcopo, quia, nimirum, supposuit, raro contingere, ut extra mortis periculum non possit ad Episcopum recurrere; & idèd satis prouisum censuit communi necessitati, si concederetur recursus ad Episcopum.

226. Non ergo voluit providere pro casibus referuatis ipsi Episcopo: debuisset enim designare, ad quem tunc esset recurrendum, an ad solum Parochum; an ad omnes Confessarios potentes absoluerè à non referuatis, sicut pro casibus pontificiis designauit solum Episcopum, ad quem deberet recurrere: quia, nimirum, non æstimauit necessarium providere de remedio pro necessitate illius, qui non potest recurrere ad Episcopum, alioquin etiam pro casibus pontificiis debuisset providere de eodem remedio, quando non potest recurrere ad Episcopum.

227. Ratio autem fuit, tum raritas illius necessitatis, ut dixi; tum etiam, quod ad Papam solum spectabat immediatè providere de remedio pro casibus sibi referuatis, ut benè notauit Suarez: pro aliis verò referuatis providere de remedio, spectat immediatè ad inferiores Prælatos referuantes, qui, si in hoc negligentes fuerint, & eorum negligentia afferat periculum animarum; tunc pertinet ad Supremum Pastorem corrigere eorum negligentiam & providere de remedio, prout sæpè fecit, communicando aliis facultatem absoluedi à referuatis Episcopo; & prouidendo etiam aliquando Regularibus, licet his minùs sit periculi, cum habeant semper ad manum suam Prælatum: quod si aliquando absentes sunt ipsi Prælati, eis sufficienter prouident de remedio.

228. Vnde obiter noto primò, non benè retulisse hanc iuris regulam Patrem Suarez in præfati, dista sessione; n. 80. dicendo, generalem regulam iuris esse pro casibus pontificiis, quoniam non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut delegatum eius, nisi cum magna difficultate, & mora posse peccatorem absolui ab inferiori Sacerdote cum onere comparandi eorundem Pontifici. Hæc regula cum ea generalitate falsa est, neque habetur in iure: sed, quod possit tunc absolui penitens ab Episcopo cum illo onere.

Noto secundò contra eundem, qui consequenter ad suam doctrinam videtur debuisset concedere, regulam esse generalem pro peccatis, quæ referuantur etiam inferioribus Prælatibus.

229. Nam n. 9. in fine, explicans, quomodo Papa referuans aliquem casum de nouo, à quo nemo absoluat, nisi in mortis articulo; adhuc non excludat casum illum necessitatis, etiam extra mortis articulum: respondit, id esse, quia exceptio ipsa mortis articuli videtur includere illam necessitatem diuturnæ moræ, etiam extra infirmitatem, quatenus in diuturno tempore moraliter imminere potest periculum mortis. Si hæc autem ratio est bona, probare debet de casibus Episcopalis, vel aliorum Prælatorum, quando diu expectandum esset: quia tunc etiam in diuturno tempore moraliter im-

mineret periculum mortis: vel ratio ergo illa non satis probat, vel certè de omnibus referuatis cuiusque Prælati deberet cum proportionem probare, quod in casu necessitatis posset inferior ab eis directè absolvere, quod tamen ipse Suarez non vult concedere.

Solum videntur posse nostræ doctrinæ obstare verba Pontificis in dicto cap. Eos, qui de sententia excommunicationis, lib. 6. vbi generaliter dicit, eos, qui à sententia canonis, vel hominis, cum ad illum, à quo alias de iure fuerant absoluedi, nequeunt propter imminentiæ mortis periculum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absoluedi, recedere in eandem sententiam, si postea non compareant. In quibus verbis supponi videtur, quod etiam à sententia aliorum Prælatorum aliquando possint absolui propter mortis periculum, vel propter aliud legitimum impedimentum: nam textus ille generaliter loquitur de censuris referuatis cuiuslibet Prælati.

Respondeo tamen illa verba non cogere. Primò, quia non est necesse, quod utraque illa ratio absoluedi mortis periculi, & alterius impediti legitimi, verificetur de singulis membris excommunicationis à iure, vel ab homine supra propositis: nam, licet ab excommunicatione inferioris Prælati referuata nunquam absolui possit subditus directè per inferiorem, nisi in mortis periculo; verum adhuc est, loquendo de utrisque simul, eos, qui à censura Pontificis, vel Episcopi, v. g. absoluedi per inferiorem, absolui propter mortis periculum, vel propter aliud impedimentum, nimirum, qui à censuris referuatis Episcopo absoluedi propter periculum, saltem mortis; qui verò à pontificiis, vel propter illud, vel propter aliud impedimentum. Voluit ergo Pontifex utrosque comprehendere sub illa disunctione, ut legem, quam de nouo condebat, communem utrisque faceret.

230. Secundò possumus aliter dicere, ibi, sub sententia lata ab homine, non solum comprehendere censuram Episcopi, v. g. sed etiam Pontificum, quæ non feratur per legem, sed ab homine: quare de utroque membro censura, nempe, & canonis & hominis, verificatur, quod absoluedi ab alio inferiori aliquando propter periculum mortis, aliquando propter aliud legitimum impedimentum, licet id non competat omnibus censuris contentis sub illo membro: sed aliquibus ab homine, scilicet, pontificiis, & aliquibus etiam à iure, nempe, solis pontificiis: quia censuræ, etiam à iure Episcopo referuata, non tolluntur ab inferiori, nisi in mortis periculo.

§. 3. de facultate, quæ Religiosis iter agentibus concedi solet, ut absolui possint à peccatis referuatis.

231. De hoc dicendum hic esset: sed, quia de hoc puncto diximus satis supra disput. 15. sect. 6. non oportet eadem in præfati repetere: ibi enim diximus, quomodo non præcipiatur subdito duplex confessio sacramentalis eiusdem peccati; & unde oriri possit obligatio illa comparandi, quando iam semel subditus absolutus fuit directè à peccato non habente annexam aliquam censuram.

§. 4. *An Superior teneatur dare facultatem subdito per se, vel per alium eam petenti ut absolvaatur à reſervatis.*

233.

DVplex videtur eſſe ſententia in re forſaſſe non diſſidens, ſed in modo proponendi. Alii enim vehementius proponunt Superioris poteſtatem, & ſubditi obligationem; atque ideò dicunt, ſubditum debere cedere, cum Superior negans utatur iure ſuo. Pro qua parte afferri poſſunt *Victoria in Summa, cap. 4. num. 147. de confeſſione*, & *Navarrus in Summa, cap. 7. numero 8. & in cap. Placuit, de Pœnitentia diſtinct. 5. art. 249. & 150.* Alij vehementius exaggerant obligationem Prælati ad conſolendum ſubdito, qui indiget tali condeſcenduntia, & facilitate, ne in graviora labatur. Ita Soto, Ledefma, Sylveſter, Angelus, Armilla, alij apud Suarez in præſenti, diſp. 30. ſect. 4. num. 3.

234.

Ponendum primò, Prælatus poſſe non ſolum per ſe, ſed per alios abſolvere validè ſubditum à reſervatis; imò loquendo de Prælate, & ſubdito Regulari, poteſt Prælatus committere id munus Sacerdoti ſimplici non approbato ab Ordinario loci; quia cuiusmodi approbationem Concilium Tridentinum ſolum exigit in Confeſſario ad audiendas confeſſiones ſecularium: quare non video, quo fundamento id negaverit Alexander Peſegrius, Clericus Regularis, in *Addit. ad comment. Conſtitut. ſui Ordinis, tom. 3. tract. 4. miſcellan. reſolut. 3.* Nec in hoc videtur eſſe poſſe dubium, loquendo de poſſibili: nam de facto aliqui Prælati concedunt facultatem cum aliqua limitatione: ut ſi adſit Sacerdos eiſdem Ordinis, hic præſeratur externis; & ex ipſis externis approbatus non approbato.

235.

Ponendum ſecundò, quoties ſubditus prudenter timet ſibi damnum grave, & Sacramento extrinſecum, hoc eſt, præter famæ diminutionem apud Prælatum, quæ extrinſeca eſt institutioni Sacramenti, v. g. timet confeſſionis revelationem, ſcandalum, odium, vel quoddam ea notitia uteretur ad alia extra illud forum in eius damnum; pœnitens ius habet petendi alium Confeſſarium, & Prælatus ex iuſtitia tenetur illum dare: & in hoc omnes conveniunt. Difficultas eſt, quando ſubditus ſolum timet ruborem, & verecundiam ex ſuo crimine patefacto Prælate, atque aded ex infirmitate ſua inſtat pro facultate conſitendi alteri.

236.

In hoc puncto non poteſt vna regula indiviſibilis conſtitui; cum omnino dependeat à circumſtantiiſ, & in prudentia Prælati, qui debet attendere eas omnes conſiderare, ne vel nimia facilitate, vel nimia ſeveritate peccet: in utroque enim facile poteſt peccare; ſed facilius in ſeveritate, & rigore. Certum quippe eſt, aliquando debere Prælatum facultatem concedere propter ſubditi periculum vitandum, ut docet S. Thomas *Opus. 9. contra impugnantes Religionem, & in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quaſtiunc. 4. ad 6.* dicens peccare Prælatum, qui difficilem ſe præbet in danda licentia: multi enim ſunt aded infirmi, quod potiùs ſine confeſſione moriantur, quàm tale peccatum tali Sacerdoti confeſcantur. Unde illi (inquit) qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientiam ſubditorum per confeſſiones ſciant; multis laqueum damnationis iniiciunt, & per confequens ſibi ipſis. Certum tamen eſt, etiam aliquando poſſe, & debere Prælatum facultatem negare, quando id videt neceſſarium ad grave damnum pœnitentis, vel etiam aliorum vitandum. Pertinet ergo ad Prælati prudentiam, utrius-

que partis rationes ponderare, ut videat, ad quam debeat inclinare in illo calu. Hoc tamen præ oculis habendo, in dubiis ſemper in benigniorem partem inclinandum, ad quam Decreta Pontificum, præſertim Clementi. VII. hæc de re edita inclinare, & ducere videtur: quare, niſi conſitet de gravi pœnitentis: aut aliorum damno, videtur concedenda communiter facultas: non tamen cuilibet conſeſſario, ſed prudenti & probò, qui vult, & probè poſſit animæ pœnitenti conſulere. Si autem talis eſſet ille, per quem facultas petitur, non debet ei negari, ne cogatur iam pœnitens duobus ſuum peccatum conſiteri: quod fortalſe aliquando non erit minus difficile, quàm ad Prælatum ipſum recurrere.

Addit Suarez num. 7. & 8. quando ex licentia negata timetur grave ſubditi detrimentum, & ruina, licet id totum ex pœnitentis fragilitate, & duritie oriatur. peccare quidem Prælatum, ſi facultatem neget, contra charitatem, vel debitum ſui muneris, non tamen contra iuſticiam. Quod mihi difficile eſt: nam licet priuatus ſolum ex charitate tenetur ad impediendum grave damnum Proxiimi, cum commodè poteſt: Prælatus tamen in ordine ad ſubditos videtur ex iuſtitia obligari ratione officij, quod cum eo onere ſuſcepit: nam, ſecuritate officij tenetur ex iuſtitia impedire, & præcavere detrimentum grave circa fortunas, & bona temporalia; multò magis videtur ex eodem officio teneri ad impediendum grave detrimentum circa ſalutem, & bona ſpiritualia ſubditorum, in ordine ad quæ præcipuè factus eſt Prælatus, & paſtor. Sic enim medius ex officio, & iuſtitia tenetur adhibere remedia opportuna, ne pereat agrotus: multò ergo magis medicus ſpiritualis debet ex officio, & iuſtitia procurare, ne pereat eius ſubditus, cuius ob infirmitatem propriam ſalus periclitatur.

Ex hoc tamen oritur dubium, quomodo Prælatus debeat condeſcendere, & dare licentiam ſubdito, qui obſtinato animo non vult Superiorem adire: tunc enim licentia illa non videtur utilis ſubdito, qui certè non eſt diſpoſitus ad Confeſſionis Sacramentum, dum habet propoſitum non adeundi Superiorem, quem adire deberet, ut implet Chriſti præceptum, præmittendi Confeſſionem ante ſuſceptionem Eucharistiæ: ſuppono enim, non ad eſſe cauſam iuſtam ex timore alicuius mali extrinſeci, ob quam poſſit peccatum illud non conſiteri. Non ergo ſubuenitur ſubdito conceſſa facultate, cum non detur illi debita diſpoſitio ad Sacramentum, quæ illi deſerat, cum non habeat propoſitum ſervandi illud præceptum Chriſti, calu, quo Superior licentiam negaſſet.

Reſpondeo hoc argumentum nimium probare: reprobat enim praxim Prælatorum, & ipſius Summi Pontificis, qui ad ſubveniendum eiſmodi infirmitati ſubditorum, qui nolunt proprio Sacerdoti integrè conſiteri, & ea de cauſa confeſſionem ſacrilegam ſæpe faciunt, & in ſtatu peccati per longum tempus miſere ſacent, mittere ſolent aliquando Confeſſarios extraordinarios cum plena poteſtate abſolvendi, vel per ſubileum, aut Bullam, vel alio modo ſubditiſ facultatem concedunt eligendi Confeſſarium, cum poteſtate abſolvendi à reſervatis, in quibus procedit eadem difficultas: nam illi ſubditi, non videntur poſſe tunc facere confeſſionem validam ex vi talis facultatis, cum eis deſit diſpoſitio debita, nempe, propoſitum ſervandi illud Chriſti præceptum, quod de facto non ſervaverunt, nec ſervarent, niſi hanc facultatem habuiſſent.

Debemus